Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Fragmenta - Cod. Karlsruhe 339

Hieronymus

[s.l.], [7. bis 14 Jahrh.]

[am Rand] Brawerhoff Registratus 1600 per Lonicerum

urn:nbn:de:bsz:31-267088

Visual Library

Non est contrarium illi loco ubi ait. Sepsit se tectis seriemque reliquid ha
benas. quomodo a latina urbe auxilia uenire commemorat. Intellegimus
enim latinum in principio discordiae et tumultus pallulum se abstinuisse.
Postea tamen nec suorum copias nec proprię denegasse consilia. nam cum
et coetui et foederibus inter fuisse dicturus est. LEGIO CAMPIS INSTRUCTA.
M. Proprię nam legiones peditum sunt turmę uero equitum. TER GENTUM.
quia romani equites primo ccc. fuerunt de singulis enim curiis deni dabantur
quas xxx fuisse diximus. SCUTATI OMNES. non clipeati. nam clipei peditum
sunt. scuta equitum. VOLSCENTE MAGISTRO. Proprię nam magister equitum
dicitur. MURO. troianorum. LEVO. F. LIMITE. Respiciens nocte sublustri secundum
regionis locutus est. SUBLUSTRI NOCTIS IN UMBRA. Sublustris nox
est habens aliquid lucis. horatius. nocte sublustri. nihil hastra. prae
uidet et undas. RADIIS. lunaribus. HAUD TEMERE. particula. Haec
modo non sine causa significat. alias fortuitu. alias male. alias sp in
uide quę pro loco intelleguntur. NIHIL ILLI TENDERE CONTRA. Hoc est
nihil contra respondere. nam tendo contra sermonem tuum. id est
respondeo tibi. tendo contra iter tuum est occurro tibi. Ergo nihil con
tra tendebant. Id est nihil respondebant contra. ADDIVORTIA. ad di
uerticula uię militaris. Terrenus ubi ad ipsum uenit diuerticulum. Diuerticula
sunt semitę transuersę. quę sunt a latere uię militaris. ADITUM CORONANT.
Melior est lectio habitum quam aditum. cingunt enim siluam ne abeant non ne
adire possint. DUCEBAT. Semita legitur et lucebat quod si est rara pro raro
accipiendum. ut sit raro lucebat herbis. scilicet in aliquibus locis. interuenientib
• Si ducebat intellegimus inter calles pecorum raram fuisse semitam. hoc est homi
num uiam. FRIALUM IMPEDIUNT. Impedio te dicimus per accusatiuum
et casus mutari non potest. nisi detrahas uerbum ut dicas impedimento mi
hi est. Sciendum sane multos conferri in eurualem excusationes. NISUS A
BIT. bene meminit uelocitatis quam ei in ludo dedit. ut primus abit longe
ante omnia corpora nisus emicat. IMPRUDENS. Scilicet remanentes
euryali. ALBIDO NOMINI. uel porce uel ciuitatis. uel regis albani. cui successit
procas. INFELIX QUA TE R. R. se infelicem dicit qui dolet non illum propter
quem dolet. ITER OMNEM. REVOLVENS FALLACIS SILVE. Urbanus
Hucusque uerba nisi uult esse. alii poete dant. rursus perplexum iter. O. R.
SIGNA SEQUENTUM. Militarem solum dicit quiuarius est. Nam in
terdum canit ut insequantur eos qui fugiunt. interdum receptui. NEC
LONGUM IN MEDIO TEMPUS. Inter auditum sonum et uisum euryalum
oppressum. RAPIT QUEM IAM MANUS OMNIS. Rapit nam male qui
dam audet rapi acceptum quod si amiseris uacat quem iam manus omnis.

BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg